

arbor illa non vincitur pondere, sic premantur licet pii variis ad-
versitatibus & fortunæ ludibriis, non tamen opprimuntur: Elucet
inter ipsas ærumnas virtutis decus, ita ut constantia tunc vel maxi-
mè conspiciatur. Sin fructum mavis, temperantiæ recordemur;
ut enim matura palmæ poma & nimia inebriant & strangulant,
Solinus teste c. 35. Sic inde modum servare memento. Proponunt
nobis vitæ exitum non per unam cupressum, quæ mortis est indi-
cium, sed per singulos flores. Quotus enim quisque est, qui non
levi vento cadat: qui non subito imbre flaccescat: qui non im-
provisa rubigine torpescat? Quot manè surgunt, qui vespere
cadunt? Quàm tenuis vermiculus spem magnam hortulani de-
collare facit? Sunt & hominis dies tanquam fœnum, & floret
tanquam flos agri. Proponunt nobis nostram resurrectionem,
cujus juxta Epiphanium speciem exprimit universa natura. Pro-
ponunt nobis vitam æternam, quod ipsa Scriptura sub specie hor-
ti paradisiaci facit. Et sanè, si tanta est hortorum nostrorum
suavitas, jucunditas, amœnitas, quæ erit Paradisi cœlestis, quo
nos migraturos speramus, vel potius confidimus? Rectè enim
Augustinus, aut quicumque alius:

Hyems horrens, æstas torrens, illic nunquam sæviunt:

Flos perpetuus rosarum ver agit perpetuum:

Candent lilia, rubescit crocus, sudat balsamum:

Virent prata, vernant sata, rivi mellis influunt,

Pigmentorum spirat odor, liquet & aromatum:

Pendent poma floridorum non lapsura nemorum.

Corollæ, quas in hortis ex variis floribus nectimus, imaginem præ-
bent immarcessibilis coronæ, quæ de gratia Christi purpurea, de
gloria aurea est. Sed non certanti non est speranda corona,

& ut *Ambrosius in Luc. 4.* ait:

**NEMO POTEST, NISI VICERIT,
CORONARI.**

CORO-